

sagacitas multa in luce posuit, quae ante in Democriti puto latebant: hic enim in arduis Methaphysicae argumentis tam laudabiliter sunt versati, ut iure, suo Duumuiri metaphysicae instaurandae queant adpellari. Quum igitur mea mihi persuaderent tempora, ut constituerem veritates metaphysicas, passim dispersas aut per scripta quidem prolixiora diffusas, in vnum colligere atque systema hocce academicis praelectionibus accommodare: nec antiquorum nec recentiorum egregii labores fuerunt negligendi. Quo consilio eam ingressus sum tractandi rationem, ut in *ontologia* cel. *VVOLFII* *ontologiam* latinam contraherem atque illis augerem notionibus, quae in Facultibus, quas vocant, superioribus suam habere videbantur utilitatem. Eamdem viam calcavi in *Psychologia empirica*: cum neminem adhuc nouerim, qui ea, quae per experientiam de anima constant, accuratius cel. *VVOLFIO* sit persecutus. Adiunxi tamen passim novos terminos ab aliis frequentatos, itemque alios terminorum significatus, ut reliquorum quoque scriptis intelligendis mea possent inferuire. *Cosmologiam*